

ma' finitum & infinitum, par & impar, unum & multitudo, dex-
trum & sinistrum, mas & foemina, quiescens & quod movetur,
rectum & obliquum, lumen & tenebrae, bonum & malum, qua-
dratum, & altera parte longius. Infinita vel eadem genere,
distincta figura & specie, ut Democrito, Leucippo & Epicuro,
qui innumeras statuerunt atomos, & immensum inane; vel
genere distincta, ut Anaxagorae, qui principia infinita fecit cor-
pora similium partium confusa in chaos. Partim unum, par-
tim plura Anaximandro, Empedocli, Parmenidi, Zenoni, A-
naxagorae &c. *Hec illa antiquorum Principia, ab Aristotele*
damnata, à Peripateticis irrita. Ubi nihil magis habemus in
votis, quam ut Veterum suppeterent monumenta, in quibus
sensum ipsorum inquirere possemus exactius ac felicius, quem-
admodum, ad manum Aristotelis & Peripateticorum ha-
bemus libros, è quibus non solum verba, sed & sensum hauri-
re plenius & ponderare valemus. Verum illorum scriptis
eruditissimis nos esse destitutos dolemus nos maxio pere. In-
terim non parum nos erigit, vel ipsorum Peripateticorum
quosdam, veritate, quae ipsius vis est, coactos, confiteri inge-
nuè, Saniores veterum de principiis sententias fuisse, quam
esse videntur. Quos addictos videbis apud *B. Sperlingium*
in Institut. suis Phys. l. 1. c. 1. q. 3. In quorum numero sunt *Co-*
nimbricenses, Piccolomineus alii. Ac licet ridiculi, insani, ine-
pti ac stulti putantur omnes, quod nunc unum fecere princi-
pium, nunc duo, nunc plura, nunc infinita, Tamen nec hoc,
nec illud, nec istud à vero alienum. Quod bellè monstra-
vit *Idera Piccolomineus lib. 1. de plac. Vet. Philos.* Paucis com-
prehendam multa. Species mundi quoad nos infinitae sunt.
Quis enim numerum stellarum in caelo, aviù in aëre, piscium
in aquis, quadrupedum & reptilium in terrâ novit. Infini-
tae hae species, infinita etiam postulant principia. Canis
enim non ex equi, neq; equus è quercus, sed species quaevis
è propriis nascitur principiis, Veteres specialia magis fe-
ctantes, & ex infinitate rerum infinitatem principiorum in-
ferentes, frustra ab eo, qui generalia curat, vexantur. Qui
duo aut plura fecere principia, ad materiam, formam,
Deum,